Ius Canonicum

Ekart Joannis: Quaestio iuridica, de iurisdictione Episcopi.

2376 Rauro.

✠

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

QVÆSTIO IVRIDICA.

De Iurisdictione Episcopi.

Ex c. Conquerente. De off: Iud: Ord:

SVB AVSPICIIS,

Magnifici, Perillustris & Adm: Rndi Domini,

D. M. FRANCISCI IOSEPHI PRZEWOSKI,

S. Th: DOCTORIS & PROFESSORIS,
Collegæ Majoris, Ecclesiarum Collegiatarum, Crac: SS. Omnium Præpositi, Curelovień: Scholastici, ad S. Florianum Canonici, Contubernij Hierosolymitani Provisoris, per Diœcesim Cracovień: Ordinarij Librorum Censoris, S. R. M. Secretarij, Almæ Uniuersitatis Studij Cracovień

GENERALIS RECTORIS.

A

M. IOANNE EKART,

I. V. Professore, Ecclesiæ Collegiatæ SS. omnium Crac: Primicerio.

In Lectorio Collegii Iuridici Vniuersitatis Cracovien:
Publicæ Disputationi
PROPOSITA.

Anno Domini, M. DC. XCI. *Die XI. Septembr. horis antemeridianis.*

PERMISSV SVPERIORVM.

CRACOVIÆ, Typis VNIVERSITATIS.

QVÆSTIO IVRIDICA.

V. Episcopus, suæ Diœcesis Iudex, non tantùm Ordinariam, verùm etiam Delegatam, & quâ Princeps, temporalem habens Iurisdictionem; eandem alteri delegare possit?

CONCLUSIO I.

Episcopus est suæ Diœcesis Iudex. (a)

a. c. Conquerente. De off. Iud. Ord: ibidemq; glos: V. Iurisdictionem, can. De persona. 11. Q. 2.

COROLLARIA.

I. Idem in sua Diœcesi, legitima statuta condere potest. [b.]

b. glos: in c. Si quis. V. Decretum. De maj: & obed: glos: in c. Vt animarum. V. Statuto Episcopi. De Rescriptis. in 6.

II. Li-

II. Liberum est Episcopo, in quolibet suæ Diœcesis loco tuto, & honesto, [c.] etiam exempto, si necessitas poscat; [d.] ac de consensu Loci ordinarij & partium, extra suam Diœcesim, pro Tribunali sedere; [e.] nec non ea, quæ sunt Iurisdictionis voluntariæ, & non requirunt Iudicialem causæ cognitionem, extra suum Territorium exercere. [f.]

c. c. Cum Episcopus. De off: Ord: in 6. ibiq; glos. V. In tota. & V. loco.

d. glos. in Clem: un V. Aut earum. De foro compet.

e. c. Vt litigantes. De off: Ord: in 6 glos: in Clem: un: V. Indulgemus. De foro compet. Rota Decis. 371. in nouis.

f. glos. in c. Nouit. V. Terminos. De off. Leg. Abb. in c. Accepta. n. 8. De rest: spoliat.

III. Archiepiscopus sui Suffraganei Subditos, etiam ipsis consentientibus, ordinariè non judicat; nisi in causis per appellationem ad se devolutis; [g] contra quos si agendum sit, coram proprio Episcopo conveniri debent. [h.]

g. c. Romana. De foro compet: in 6.

c. Duo simul. De off. Iud: Ord: c. Nullus. De Parochijs.

h. Abb: in c. Dilecti. De appell: n. 13.

IV. Licet Laici possint Iurisdictionem Iudicis non sui, in se prorogare; Clericis tamen id non li-

cet: nisi proprij Episcopi consensus accedat, & Iudex, cuius Iurisdictionem prorogare volunt, sit Ecclesiasticus. [i.]

i. c. Si diligenti c. Significasti. De foro competen.

V. Causæ ad forum Ecclesiasticum de Iure spectantes, in prima Instantia, per Loci ordinariũ proprium cognoscendæ sunt; ita ut nec per Legatos de latere, specificam potestatem majorem non habentes, avocentur; nisi per viam appellationis ad eorum Tribunalia deferantur; [k.] neque ab ipsa Signatura Iustitiæ alijs committantur: nisi agatur de Beneficijs affectis, aut reseruatis, [l.] vel de conservatorijs Pivilegijs Vniuersitatũ. [m.]

k. c. 1. De off: Leg. Concil: Trid: Seß: 24. cap: 20. De reform. Rescriptum Vrbani VIII. ad Vladislaum Regem Poloniæ 1634. 5. Iunij.

l. S. Congreg: in Decl: Concil: Trid: loco cit. V. omnes causæ.

m. Eadem. ibidem. & V. In prima Instantia.

CONCLUSIO II.

Habet Episcopus Iurisdictionem Ordinariam, in omnes suæ Diœcesis Clericos, tam Seculares, quàm Regulares non exẽptos, ac in causis Spiritualibus & mixtis, in La-

in Laicos, (n.) etiam Principes (o.)

n. alleg: can: De Persona. c. 1. De off: Iud: ord: glos: in alleg: c. Conquerente. V. Iurisdictionem. c. cum Episcopus. de off: ord: in 6. c. cum sit. c. ex tenore. De foro competen.

o. c. Solitæ. De maiorit: & obed.

COROLLARIA.

I. Ecclesiæ cum suis Iuribus, [p.] Parochiæ, (q.) res Ecclesiasticæ, (r.) Monasteria, (s.) loca pia, (t.) intra fines Diœcesis sita, & executio piarum voluntatum, [u.] subijciuntur Iurisdictioni Episcopali; nisi per Priuilegium excipiantur.

p. can. Omnes Basilicæ 16. Q. 7. can: Decretum. 10. Q. 1.
q. can. Regenda est. Q. 10. Q. 1.
r. can. Quæcunq; 10. Q. 1. can: Præcipimus. 12. Q. 1.
s. can. Abbates. §. Monasteria. 10. Q. 2.
t. can. De Xenodochijs. De Relig: Dom.
u. can. Tua nobis. De testam.

II. Ad officium & Iurisdictionem Episcopi spectat, curam animarum dare, consecrare, benedicere, confirmare, ordinare, visitare, corrigere, Censuras ferre, Beneficia Ecclesiastica conferre, (x.) Præsentatos ad ea examinare, ac idoneos instituere, (y.) inhabiles & indignos reijcere,

re, (z.) ob legitimam causam Beneficijs priuare, (a.) absentiæ causas probare, (b.) ad Ecclesias Parochiales Iurispatronatûs Ecclesiastici Concursum instituere, (c.) Vicarios in Beneficijs perpetuos constituere, (d.) Synodum conuocare. (e.) quæ ad promouendũ Dei cultũ & curã animarũ spectãt, providere, (f.) Patronorũ in præsentando negligentiam supplere, eosdemque in casibus Iure permissis Iurepatronatûs privare, (g.) ab administratoribus piorum locorũ (h.) & bonorũ Episcopalium sede vacante administratorum, (i.) rationes exigere; Casus in grauioribus delictis sibi reservare, (k.) Concubinarios incorrigibiles ex Dioecesi proscribere, (l.) contra hæreticos Processum formare, (m.) Iudæos ad conciones compellere, [n.] controversias inter Clericos de præcedentia exortas componere, [o.] causas Ciuiles, Matrimoniales, & Criminales decidere, [p.] crimina inquirere, punire, & cùm opus fuerit, brachium seculare inuocare, [q.] deponere, [r.] degradare. [s.]

x. glos. in c. Dilectus. V. Lege Iurisdictionis. De off: Iud. ord.

y. c. Ex frequentibus. De instit. Concil: Trident: Sess: 7. cap: 13. & Sess: 23. cap: 15. De reform.

z, Con-

z. Concil: Trid: Seß: 25. cap: 9. De ref.
a. Idem Seß: 21. cap: 6. De ref.
b. Idem Seß: 23. cap: 1. De ref.
c. Idem Seß: 24. cap: 8. De ref.
d. Idem Seß: 7. cap: 7. De ref.
e. can: Quoniam dist: 8. Concil: Trid: Seß: 24. cap: 2. de ref.
f. Idem Seß: 21. cap: 8. De ref.
g. c. 1. De Iurepatr: c. Quia Clerici. De Iurepat: c. In quibusdam. De pœnis. c. Vergentis. De hæreticis. Concil: Trid: Seß: 25. cap: 9. De ref.
h. Idem Seß: 22. cap: 11. De ref.
i. Idem Seß. 24. cap: 16. De ref.
k. Idem Seß: 7. cap: 7. De casuum: reseruat:
l. Idem Seß: 24. cap: 8. De ref: matr.
m. c. Per hoc. De hæreticis.
n. Constit: Gregorij XIII. incipiens: S. Mater.
o. Concil: Trid: Seß: 25. cap: 13. De Regul:
p. Idem Seß: 24. cap: 20. De ref.
q. c. Perniciosam. De off: Iud: Ord.
r. c. Atsi Clerici. De Iudicijs.
s. c. Degradatio. De pœnis in 6.

III. Competit Episcopo, Indulgentias concedere, (t.) Sanctorum Reliquias exponendas admittere, miracula recognoscere, & approbare, (u.) prædicationis munus committere, vel inhibere, (x.) negligentiam Delegati, (y.) & exemptorum supplere, [z.] dispensare in iuramentis &

votis

votis non reservatis, bannis, & quibusdam matrimonij impedimentis impedientibus. (a.)

t. c. Quod autem. De pænit: & remiss.

u. c. fin: De Reliquijs & venerat: SS. Concil: Trid: Sess: 25. in Decreto. De invocat: & venerat. & Reliquijs. SS.

x. Idem Sess: 24. cap: 4. De ref: cum Decl: ibidem.

y. c. Si significauit. De off: Iud: ord.

z. Clem: cap: 2. De Relig: Dom: c. 1. De Iurepat.

a. Barboss: De off: & pot: Ep: p. 2. alleg: 32. n. 194 & Iuris Eccl: univer: lib: 1. cap: 11. §. 6. & 7.

IV. Præterea licet Episcopo dispensare in irregularitatibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus (exceptâ eâ, quæ provenit ex homicidio voluntario, alijsq; ad forum contentiosũ, deductis) & in casibus occultis etiã S. Sedi Apostolicæ reservatis, in Bulla Cænæ Domini non contentis; in foro conscientiæ delinquentes sibi subditos absoluere per seipsum, aut Vicarium suum, (b.) vel ad id specialiter deputatum Pænitentiarium. (c.)

b. Concil: Trid: Sess: 24. cap: 6. De ref. Decret: Card: sub Alexandro V. an: 1629. die 8. Iulij. De functo c. un: de ætate & qualit: in 6. c. 1. & 2. De filijs Presb: in 6 c. sanè. De Cler: conjug: c. Atsi. De Iudicys. c. Postulasti. De Cler: excom: c. 3. §. De Adulterys.

e. S Congreg: loc: cit: Concil: Trid: V. ad Vicarium Constit: Synod: Lib: 4. Tit: De pænit: & remis: §. 2.

V. Episcopo cura animarum, etiam fori interni principaliter incumbit, (d.) qui potest ea exequi quoad administrationem Sacramentorum & aliorum, quæ Ordini annexa, Presbyteris communia sunt. (e.) Presbyteri verò sine licentia & approbatione ab Episcopo obtenta, non possunt extra casum extremæ necessitatis, Diœcesanis eius, validè ministrare Sacramentum Pænitentiæ. (f.)

d. can: Quæcunque. 10. Q. 1. can: Præcipimus. 12. Q. 1.
e. can: Illud: & sequen: Dist: 71. c. Cum nullus. De temp: ord:
f. can: Cunctis fidelibus. 16. Q. 1. Concil: Trid: Sess: 23. cap: 15. De ref: Clemen: Dudum. §. Statuimus. De Sepult: Constit: Leonis X. in Concil: Lateranen: quæ incipit. Dum intra. Constit: Pij V. incipiens: Romani Pontificis Decretum S. Congr: de anno 1601. die 9. Iunij.

CONCLUSIO III.

Episcopus habet Iurisdictionem etiam Delegatam. (g.)

g. c. Irrefragabili. De off: Iud: Ord: c. Ad abolendum. De hæreticis. & infra alleg: Iuribus.

COROLLARIA.

I. In Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis insignibus, si Præbendæ, quæ adeò tenues sint ac frequentes, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui, pro loci & personarum qualitate non sufficiant; licet Episcopo cum consensu Capituli, vel aliquot simplicia Beneficia non Regularia, ijs unire; vel si hac ratione provideri non possint, aliquibus ex ijs cum consensu Patronorum (si de Iurepatronatus Laicorum sint:) suppressis, earum fructus & proventus, reliquarum Præbendarum distributionibus quotidianis applicare, easque ad pauciorem numerum reducere, dummodo tot supersint, quæ Divino cultui celebrando, ac Dignitati Ecclesiæ commodè valeant respondere. (h.)

h. Concil: Trid: Sess: 24. cap: 15. De ref.

II. Episcopus tanquam S. Sedis Apostolicæ Delegatus potest Abbatum negligentiam supplere, (i.) Ordinem Canonicatuum designare, ac in ijs, quæ ad Divina officia pertinent, providere, (k.) novas Parochias legitimè constituere, (l.) Beneficia transferre, (m.) unire, (n.) commutare & per-

permutare in melius, (o.) distinguere, (p.) uniones iam factas examinare, & reuocare, (q.) Coadiutores in Beneficijs curatis, ad tempus deputare, partemq; fructuum ijsdem designare, (r.) super duobus Beneficijs difformibus sub eodem tecto, quorum unum non sit sufficiens ad sustentationem Provisi, ex causa dispensare, (s.) quæ in celebratione Missæ observanda sint, legitimè ordinare, & prohibere vitanda. (t.)

i. Concil: Trid: Seß: 5. cap: 1. De ref.
k. Idem Seß: 24. cap: 12. De ref.
l. Idem Seß: 21. cap: 4. De ref.
m. Idem Seß: 21. cap: 7. De ref.
n. c. Sicut unire De exceß: Præl: c. Translatum. De off: Deleg: Concil: Trid: Seß: 21. cap: 5. De ref.
o. c. 1. De rebus Ecclesiæ alienan: can: Sine exceptione. 12. Q. 2 cum gloß: ibidem. Rota Decis. 229. in nouis.
p. Concil: Trid: Seß: 24. cap: 13. De ref.
q. Idem Seß: 7. cap: 6. & Seß: 25 cap: 9. De ref.
r. Idem Seß: 21. cap: 6. De ref.
s. S Congreg: in Concil: Trid: Seß: 7. cap: 4. De ref.
t. Concil: Trid: Seß: 22. in Decret: De obseruand: & vitand: in celebr: Mißæ.

III. Rescripta in Gratijs, Provisionibus, dispensationibus, alijsve similibus, sub vel obreptitiè obten-

ta, Episcopus, ut S. Sedis Apostolicæ Delegatus, summariè cognoscere, & cognito in ijs subvel obreptionis vitio, eadem non admittere potest. (u.)

u. c. Super literis. Ibidemq; gloss: V. Facta fuerit fides. c. Cum dilecto. De Rescriptis, iuncto c. Ex parte. De Off: Iud: Ord: Concil: Trid: Sess: 22 cap: 5. & Sess: 24. cap: 14. De ref:

IV. Episcopus, vigore Iurisdictionis Delegatæ, contra Privilegiatos in causis Civilibus mercedum ac miserabilium personarum, (x.) contra Regulares, sine licentia suorum Superiorum à Conventibus suis recedentes, (y.) aut extra locum exemptum notoriè delinquentes, si intra tempus ab Episcopo præfixum per suos, Superiores puniri negligantur; [z.] similiter contra iniquè impedientes suam Iurisdictionem [a] aut bona piorum locorum usurpantes, [b.] procedere potest. Insuper Beneficia Commendata; & Monasteria exempta, in quibus Regularis observantia non viget, [c.] Item Ecclesias proximiores, in nullius Diœcesi sitas, [d.] tum loca pia, sub immediata Regum protectione non existentia, nec in sui erectione specialiter excepta, (e.) vi-

[e.] visitare, & circa visitationem ea, quæ ad correctionem & utilitatem spectant, ordinare ac moderari; [f.] Notariorum quoque, authoritate tam Apostolicâ quàm Imperiali vel Regiâ creatorum, sufficientiam scrutari, eorumque excessus punire non prohibetur. [g.]

x. c. 1. De Privilegijs. in 6. Concil: Trid: Seß: 7. cap: 14. De ref:
y Concil: Trid: Seß: 25. cap: 4. De Regularibus.
z Idem Seß: 25. cap: 14. De Regular:
a c. Cùm & plantare. § fin: De Privilegijs. c. 1. De pænis.
b Quia contingit: Clem: De Relig: Dom:
c. Concil: Trid: Seß: 21. cap: 8. & Seß: 25. cap: 11. De ref.
d. Idem Seß: 24. cap: De ref.
e. Idem Seß: 7. cap: 15 & Seß: 22. cap: 8. De ref: ibiq; Decl:
f. Idem Seß: 24. cap: 10. De ref.
g. Idem Seß: 22. cap: 10. De ref.

V. Monasteria Monialium in restituenda & servanda clausura, quamvis sint S. Sedi Apostolicæ immediatè subiecta; subsunt gubernio Spirituali & Iurisdictioni Delegatæ Episcopi, [h.] qui etiam ab Administratoribus bonorum, rationem recipere, Confessariosque earundem mutare, [i.] & extraordinarium Confessorem ijsdem dare potest. [k.)

h. c. un: De Regu:: in 6. Clemen: Attendentes. De statu Monach: Concil: Trid: Sess: 25. cap. 5. & 9. De Regul.

i. Constit: Gregorij XV. incipiens: Inscrutabili ann: 1622. nonis Febr: ac Declar: eiusdem per S. Congr: quæ incipit: Posita Constitutione de anno 1623. Constit: Pij V. Cum Pastoralis officij

k. Concil: Trid: Sess. 25. cap: 10. De Regul.

CONCLUSIO IV.

Episcopus, quâ Princeps, habens ius gladij seu Iurisdictionem temporalem, potest eandem alteri delegare. (l.)

l. c. Episcopus. ibique glos: Ne Clerici vel Monachi. in 6. glos: in can: His à quibus 24. Q. 1. V. Præcipiant. glos: in c. Clerici Ne Clerici V. Iudicent.

COROLLARIA.

I. In Ecclesia militante datur gladius, non tantùm Spiritualis, verùm etiam temporalis; [m.] quem Summus Pontifex alijs concedere potest. [n.]

m. Extrauag: Cum unam Sanctam. De Maiorit & obed: Ibidemque glos: V. Vterque.

n. glos: in can: In Synodo. Dist: 63. V. Sit patricius.

II. Quamvis Clericis ordinariè non liceat Iudicium Sanguinis per se exercere, (o.) possunt tamen

per

per suos Procuratores in causis criminalibus agere coram Iudice seculari. (p.)

o. c. Clericis. Ne Clerici vel Monachi.

p. c. 2. De homicidio. in 6. Bulla Gregorij XIII. an. 1577. die 5. Aprilis, Clericis Regni Poloniæ concessa, quæ refertur in Const. Synod: Vezicianis.

III. Merum imperium Ecclesiasticum, quoad exercitium gladij Spiritualis potest Episcopus alteri Prælato demandare, (q.) & si alicui suam Iurisdictionem Episcopalem concedat, censetur eidem concedere etiam merum vel mixtum imperium Spirituale; nisi obstet mens concedentis, aut ius alterius in contrarium. (r.) Similiter concesso Castro, cui adhæret Iurisdictio temporalis, regulariter videtur concessum merum aut mixtum Imperium. (s.)

q. glos: in c. Quod sedem. De off: Iud: Ord.

r. glos: in Clem: un: V. omnimodam. De foro compet.

s. arg: c. Acceßorium. De Reg: Iur: in 6.

IV. Episcopus Vicario suo generali, tanquam Iudici Ordinario, (t.) idemq; Tribunal habenti; (u.) cum uniuersitate causarum, & mero Imperio Spirituali, (x.) voluntariam quoque Iurisdictionem specialiter concedere solet. (y.)

t. glos:

t. *glos. in can. Perlectis. V. iurgia. Dist. 25. glos. in c. 2. V. Officialem. De Off. Vic. in 6.*
u. *c. Romana. De appell. in 6. ibidemq; glos. V. generaliter.*
x. *c. Licet. De off. Vic. in 6. glos. in c. aqua. V. Iurisdictionis. De consecrat. Eccl. vel Alt.*
y *arg. c. Sua nobis. De Off. Vic. Barbosa Iuris Eccl. un. Lib. 1. De Vic. Epis. cap. 15.*

V. Præter Ordinarios locorum, quædam personæ qualificatæ, in Concilijs Provincialibus, aut Diœcesanis, principaliter ad nominationem Episcopi designari debent; ut coram ijs, aut eorum Substitutis, causæ ad forum Ecclesiasticum pertinentes, à Curia Romana, Legatis, vel Nuntijs Apostolicis, & Episcopis, delegatæ, breviter terminentur. (z.)

z. *Concil. Trid. Seß. 25. cap. 10. De ref. Ibidemq; Declarat. V. Alioquin ad id aptas designari. Et V. Ex designatis mori contigerit. ac V. Substituat Ordinarius. Constit. Synod. Lib. 5. cap. 34.*

TIBI

Iustitiæ Increatæ, & Iurisdictionum omniũ origini,
Iudex vivorum & mortuorum,

CHRISTE,

Qui, *cũ tempus acceperis, iustitias nostras judicabis*;
Qui *futurorum bonorum assistens Pontifex,*
Introivisti semel in Sancta æterna redemptione inuenta,
Constituistiq́; Episcopos regere Ecclesiam Tuam;
cùm pro fundissimæ adorationis infra omnes abyssos

TIBI

Supremi Iudicis Mater; Deipara Virgo
Immaculatè concepta,
Cui post Filium *data est omnis potestas in Cælo & in terra*;
cum debitæ venerationis supra omnes Sanctos:

VOBIS

Divi Cælestis Curiæ Assessores,
Qui *sedebitis supra duodecim thronos,*
Iudicantes duodecim tribus Israël;
Cum devoti cultûs, *propter mirabilem in vobis Deũ*:

HOMAGIO,

Exigua hæc de Iurisdictione Episcopi Dissertatio,
ritu & affectu supplici,
esto dicata.